



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 16/15/I

BEATISSIME PATER,

Bruno Cadoré, Magister Ordinis Fratrum Praedicatorum, sensus devotionis erga Sanctitatem Tuam proprios totiusque Familiae Dominicanae pandens, reverenter exponit: Summum Pontificem Honorium III, per geminas Bullas “Religiosam vitam”, diei XXII Decembris MCCXVI, atque “Gratiarum omnium largitori”, diei XXI Ianuarii MCCXVII, sub regula Sancti Augustini sanxisse ratumque habuisse Fratrum Praedicatorum Ordinem. Ad hunc duplicem octingentesimum anniversarium diem digne celebrandum, in singulis Familiae Dominicanae sacellis, sollemnes habebuntur ritus ac religiosa incepta, a die VII Novembris MMXV, Omnium Ordinis Sanctorum festo, usque ad diem XXI Ianuarii MMXVII, octingentesimum alterius Bullae anniversarium peragenda. Quo autem sodalibus Familiae Dominicanae et aliis piis fidelibus divina largitas magis aperiatur et inde fructus spiritalis abundantiores hauriantur, praefatus Rev. mus Orator Indulgentiarum donum ad instar Iubilaei submitte petit.

Et Deus, etc.


Die VIII Augusti MMXV


PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de speciali mandato Ss.mi Patris Francisci, *Iubilarem* benigne concedit *Annum cum adnexa plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) christifidelibus vere paenitentibus et caritate compulsis, semel in die lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint quoties, unito corde cum spiritalibus finibus Anni Misericordiae Sancti: **a.**- iubilariis celebrationibus ut in supplicibus litteris determinatis devote interfuerint; **b.**- ecclesias vel sacella Familiae Dominicanae in forma peregrinationis inviserint et ibi coram Ss.mo Sacramento per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Fidei Symbolo, Prece Iubilari atque invocatione B. Mariae Virginis a Sac. mo Rosario.

Sodales Familiae Dominicanae qui, propter infirmitatem aliasve graves causas impediuntur iubilariis celebrationibus interesse possint, in loco ubi impedimentum eos detinet, *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si sacris ritibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericorditer Deo per Mariam oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes ex Ordine Sancti Dominici, prompto animo, celebrationi Paenitentiae in iubilariis locis sese praebeant et Sanctam Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per Iubilarem Annum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens